# The Electronic Manipulus florum
# www.manipulusflorum.com

## Remuneratio a
### cum uariis

Manet spectator desuper cunctorum prescius Deus, bonis premia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo posite spes precesque que cum recte sunt inefficaces esse non possunt. Aduersamini igitur uicia, uirtutes colite, ad rectas spes animum subleuate, humiles preces in excelso porrigite. Magna uobis est, si dissimulare non uultis, necessitas indicta probitatis cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

Boecius libro V. de consolatione.

________

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$):

manet] mane (*cor. supra lin.*) B; spectator desuper] speculator desunt M; sunt] sint P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$; libro V. de consolatione] de consolatione libro 5. P $V^1$ $V^2$ $L^1$ $L^2$